

tunt, *hic speravit invocare nomen Domini*. Hebræum enim חָוֶל *huchal*, non tantum incipere, sed et sperare significat, a radice יָחַל *iachel*; et spes est causa invocationis. Perperam Rabbinii vertunt, tunc profanata est invocatio nominis Domini, quasi tempore Enos cepisset idololatria; licet enim *huchal* a rad. חָוֶל *chöl*, significet profanare, hic tamen non a *chol*, sed a חָוֶל *chälal* descendit, quod in *hiphal* habet חָוֶל *huchel*, significatque cepit, incepit: in *hophal* habet חָוֶל *huchal*, id est cepit, uti vertit Noster, Chaldee, Valabius, Forsterus, Pagninus et alii passim. Non recte quoque Cyrillus, Theodoretus et Suidas vertunt, iste cepit vocari nomine Domini, quasi ipsi Enos, ob insignem pietatem Dei, ejusque liberis, filiorum Dei nomen sit inditum.

Putat D. Thomas II *II part.*, Quæst. XCIV, art. 4, ad 2, in prima mundi ætate non fuisse idololatriam, ob recentem creati mundi memoriam. Verum hæc ratio non omnino concludit: nam recens memo-

ria diluvii, et tante vindictæ Dei, non impedivit quin et mox surreperet idololatria. Unde Torriellus et alii putant, etiam tum fuisse idololatriam in aliis Adæ familiis: ideoque Enos et opposuisse publicum unius Dei cultum, itaque S. Ecclesiæ visibilem formam instituisse.

DOMINI. — Hebræice est nomen tetragrammaton *Jehova* (1). Unde Irupertus, Cajetanus et alii putant, hoc nomen Adæ et Enos accepisse revelatum, ipsosque per illud Deum invocasse. Sed verius est Mosi primum hoc nomen tetragrammaton fuisse revelatum, ut dicam *Exodi* VI, 3. Moses ergo, qui hæc scripsit, postquam hoc nomen a Deo, *Exodi* VI, accepit, eo passim antèrius, etiam in *Genesi*, Deum compellat, etiamsi Adæ, Enos alique Patriarchæ Deum tunc, non *Jehova*, sed *Elohim*, vel *Adonai* compellarint.

(1) De nomine Dei tetragrammato, seu *Jehovah*, vide quæ doctissime disseruit Drach, op. cit. t. I, p. 319 seq.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Textus genealogia Adæ, per Seth, usque ad Noë, idque primo, ut per eam texatur chronologia mundi, ejusque propagatio lucusque ad nos; hinc fit per Seth: a Seth enim omnes descendimus. Nam ceteri omnes Adæ filii et posterii perierunt in diluvio. Secundo, ut videamus Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum et pietatem, in aliquibus conservasse, uti hic conservavit in Seth ejusque posteris. Tertio, ut constet genealogia Christi a Noë ad Adam, de qua Lucas cap. III, vers. 35.

1. Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. 2. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis: et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. 4. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios et filias. 5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. 6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. 7. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. 8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. 9. Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. 10. Post ejus ortum vixit et octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. 11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est. 12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. 13. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. 14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. 15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. 16. Et vixit Jared postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias. 17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. 18. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch. 19. Et vixit Jared postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. 20. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. 21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem. 22. Et ambu-

lavit Henoch cum Deo: et vixit, postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, et genuit filios et filias. 23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. 24. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. 25. Vixit quoque Mathusalem centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. 26. Et vixit Mathusalem postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium: 29. Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: «Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.» 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est. Noë vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet.

Vers. 1. 1. LIBER, — catalogus, enarratio, enumeratio generationum ab Adam ad Noë; hoc enim est heb. סֵפֶר *sepher*, a rad. סָפַר *saphar*, id est numeravit, recensuit. Eodem sensu *Matth.* cap. I, vocatur *liber*, id est catalogus, *generations*, sive genealogie, *Christi*.

AD SIMILITUDINEM DEI, — ad imaginem suam. Sæpe enim Hebræi ponunt antecedens pro relativo.

Vers. 2. 2. VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM, — ab hebræo *Adama*, q. d. Vocavit eos *homo* ab *humo*, ex qua creavit eos. Eva ergo etiam est Adam; id est homo. Utrique unum nomen indidit Deus, ut scirent conjuges se quasi unum hominem in duobus esse corporibus, sequè uti nomine, ita et anima ac voluntate adunari debere. Secundo, nomine Adam monentur se esse terræ filios, viles, luteos, fragiles, mortales, et in terram reversuros. Memento, Adam, quia *adama*, id est terra et pulvis es, et in pulverem reverteris.

Vers. 3. 3. GENUIT (filium) AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM, — puta, sibi per omnia similem, non in peccato originali, uti explicat Calvinus, sed in natura, scilicet in corpore humano, et in anima rationali, in qua Seth, æque ut Adam, erat imago Dei. Vide dicta cap. I, 27.

Vers. 5. 5. ADAM ANNI NONGENTI TRIGINTA, ET MORTUUS EST. — Nota *primo*: Ab Adam usque ad diluvium, per Seth sunt decem generationes, estque hæc prima mundi ætas.

Nota *secundo*: Anni hi fuerunt duodecim mensium, ut sunt nostri, ut patet *Gen.* VIII, 3; nam si fuissent mensuri, uti aliqui volunt, puta si annus unus fuisset tantum unus mensis, continens triginta dies, sequeretur eos qui hic 73 anno generasse leguntur, 73 mense generasse, ac consequenter generasse anno ætatis sue 7; omnes denique defuncti essent ante annum ætatis 83, quem etiam hodie non pauci exsuperant. Ita S. Hieronymus et S. Augustinus, lib. *XV De Civit.* cap. XIII. Patet *Ægypti* præcis annum fuisse menstruum. Id enim tradit Diodorus Siculus, lib. I; Varro apud Lactantium, lib. II, cap. XIII; Plutarchus in *Numa*; S. Augustinus, lib. *XII De Ci-*

vit. cap. XX, et Proclus, in *Timæum*, lib. I, pag. 33: Αἰγύπτου, αἰτ, τὸν μῆνα ἐκατὸν ἐκάσταν, Ἐγυπτί τοι κάβαν μηνῆσιν ἀννῶν. Verum nil tale de præcis Hebræis reperias.

Tertio, ex Hebræo textu, et ex nostra versione Latina patet, ab Adam usque ad diluvium fluxisse annos 1636. Ita S. Hieronymus, Beda et S. Augustinus supra. Quare in Septuaginta qui numerant annos 2242 (juxta editionem correctam a Cardinale Caraffa) irrepit error; superat enim hic numerus veritatem annis 586. Suspicatur S. Augustinus scilicet quendam mutasse numerum in Septuaginta, eo quod putaret hic accipi debere annos menstruos; insolitum enim et paradoxum videtur, ut homines tunc vixerint 900 solidos annos. Sed quia ille ipse rursus videbat sibi objici posse: si anni fuerunt mensuri, ergo qui centesimo anno dicuntur generasse, generarent anno secundum nos octavo: hinc, ut hoc effugeret, pro 400 posuisse 200 (1).

Quarto, mortuus est Adam anno 57 Lamech, patris Noë, 726 annis ante diluvium, videlicet totius humani generis sui propagationem et corruptionem. Addit S. Irenæus, lib. V, cap. XXXII, Adam mortuum esse feria sexta, die Veneris; quia eodem die creatus est, et peccavit Adam. Dixerat autem ei Deus: «In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.» ergo mortuus est die Veneris, quo et peccavit. Verum illa com-

(1) «Alexandrini Interpretes in annorum numero partim consentiunt cum Hebræis codicibus, partim ab his dissentiunt. Consentient, si attendas annos vitæ; dissentient in eo, quod aliter eos dividant. Sumunt enim neminem procreare sobolem potuisse ante centesimum et quinquagesimum annum. Hinc, cum Hebræi tribuant Adamo ante Sethum genitum annos 130, post genitum 800, Græci ante Sethum ponunt 230, postea tantum 700. Prodeunt anni vitæ æquales 830. Idem Hebræi assignant Setho ante genitum Enoch annos 105, Græci 205. Contra sentit Samaritanus, neminem post centesimum quinquagesimum annum patrem fieri potuisse, atque ad hæc rationem annos, quos patres vixisse dicuntur, dividit.» Ita Rosenmüllerus, Cf. Meignan, op. cit. p. 439; Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, Disc. 4.

Ab Adam ad diluvium sunt anni 1636.

minatio Dei alium habet sensum, uti superius dixi. Eva, si credimus Mariano Scoto, decem annis post maritum vixit, mortuaque est anno vite et mundi 940.

Quinto, traditio est Adam sepultum esse in Hebron. Tradit Jacobus Edessenus, qui fuit magister S. Ephrem, apud Barcephala lib. I, cap. XIV, quod Noe ossa Adam in arcam religiosus susceperit, et post diluvium illa inter suos liberos distribuerit, Semque quem anteferebat ceteris, calvariam Ade dederit, et cum ea Judeam. Tanta patribus fuit cura honorque sepulcri, ob animarum immortalitatem, quam certa fide et spe sibi proponebant. Hinc communis Patrum sententia est, cranium Ade sepultum esse in monte Calvarie, ut ibi Christi crucifixi sanguine rigaretur, ablueretur, vivificaretur. Audi inter alios Tertullianum, lib. II Carnin. contra Marcionem, cap. IV:

Calgatha locus est, capitis calvaria quondam: hic medium terrae est, hic est victoria signum, Os magnum hic veteres nostri docere repertum, hic hominem primum susceptum esse sepultum, hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit, Pulvis Ade ut possit veteris, cum sanguine Christi Conmixtus stillantis aquae virtute lavari.

Denique Adamo et Eve peccatum suum remissum est, ut patet Sapientia x, vers. 2. Intellige quatenus hoc peccatum eis personale erat, non autem quia peccatum erat naturae, sive totius generis nostri; sic enim hoc peccatum est nobis originale, et in omnem Ade posterum nascendo transfunditur, atque haec ratio est irremissibile. Ade, traditio est Adamum et Evam esse salvatos, quae ita certa est, ut Epiphanius, Philastrius, Augustinus et alii Everalitas hoc negantes damnant erroris. Vide Alphonsum a Castro voc. Adam. Quocirca Adamum inter alios, imo praeter alios Sancti resurrexerunt cum Christo Matth. cap. xxvii, vers. 53, docent S. Athanasius, orat. De pass.; Augustinus hic, Quaest. CLXI; Origenes, tract. 35 in Matth., et alii.

Quaerens, unde tunc tam longevi fuerint homines (1)? Pereriva varias dat causas: prima, fuit bonitas primae complexionis et temperamenti corporis in primis hominibus; secunda, fuit sobrietas, quae tanta fuit, ut nec carnibus, nec vino uterentur; tertia, fuit primus vigor terrae, fructuum et alimentorum, quae initio creationis suae longe vivaciora et succulentiora et efficaciora erant quam jam, cum sunt effecta; quarta, fuit

Quarta.

(1) Decem aetatibus, quae hic referuntur, tribuntur semper anni pleni, quasi homines exacto integro anno, lutto sequenti aut generint, aut fato functi sint; quum vix dubitari possit, quin tempora generationis et mortis varia fuerint, atque in varios menses promiscue acciderint. Itaque eo deveniendum, ut mensium aliquot anno anteficiendum, aut insuper accedendum, nulla habita ratio esse dicatur, unde accuratam omnino chronologiam hinc colligi non posse liquet.

scientia Ade, quam aliis communicavit, qua melius quam medici nostri norat vim herbarum, fructuum, metallorum, etc.; quinta, fuit benignus aspectus, concursus et influxus astrorum; sexta, fuit Dei voluntas et arcaea cooperatio, idque ad hoc, ut homines citius propagarent, et per longam experientiam scientias et artes omnes perdiscerent, utque primi homines fidem creationis rerum, Deique cognitionem et cultum posteris etiam remotissimis traderent. Unde Lipomanus magis Dei miraculo, quam natura, hanc longevitatem attribuit (2).

Nota: Nullus istorum patrum attigit annum millesimum, ut videmus; etiam longissimam vitam in hoc mundo, ne punctum quidem esse ad aeternitatem. Nam mille anni coram Deo sunt quasi dies hesternae quae praeterit. Psalm. LXXXIV.

Et mortuus est. — Singulis hoc additur, ut videas efficacem fuisse sententiam mortis a Deo latam in Adamum peccantem, ejusque posteros, cap. III, vers. 19; nam, ut ait Sapiens Ecclesiasticus XIV, 42: « Hoc est testamentum hujus mundi: morte morietur. » Ergo cogitemus singuli: De me quoque brevi dicetur: « Et mortuus est, » hoc meum et ejusque est, ut erit emblema, hoc epitaphium: Cornelius vixit tot annos, et talianno mortuus est. « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum, » ait S. Hieronymus, epist. 103.

Severus imperator, auctore Dione Niceno in ejus Vita, unam sibi parari voluit, in qua sepeliretur, quam crebro manibus contractans dicebat: « Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit; » idque fecit, ut memoriam mortis retineret.

Eadem de causa S. Joannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, jussit sibi extrui monumentum, sed imperfectum: solemnibus autem festis in conspectu multorum, voluit sibi a fabris dici: « Monumentum tuum, Domine, adhuc imperfectum est, jube ergo ut tandem perficiatur: incertum enim est qua hora mors ventura sit. » Ita Leontius in ejus Vita. « Incertum est, inquit Seneca, epist. 26, quo te loco mors expectet; itaque tu illum omni loco expecta. In somnum ituri, leti hilarisque dicamus: Vixi, et quem dederas cursum, Deus almae peregi. » Disce ergo mori: aeternitatem cogita. O aeternitas! quam longa es, aeternitas; quam aeterna, quam constans, aeternitas!

VIXIT QUOQUE CAINAN SEPTUAGINTA ANNIS, ET GENUIT MALALEEL. — Malaleel, vel, ut hebr. est, Mahalaleel, idem est quod laudans Deum; מלל halal enim est laudare, ואל el Deum: sive quia filius assidue laudans Deum, inde vocatus sit Mahalaleel; sive quia pater Cainan cum in ortu ita vocari, ut

(2) Cf. Meignan, op. cit. pag. 133; Desdonis, Soirées de Monthéry, 3^e soirée; Annales de Philosophie, tom. III, pag. 163 seq.; Haneberg, op. cit. lib. I, cap. IV, p. 29 seq.

Cranium Ade in monte Calvaria sepultum.

Calgatha locus est, capitis calvaria quondam.

Adam et Eva salvati.

Unde praeterita bonitas complexionis et temperamenti corporis in primis hominibus.

Quarta.

Orista

Nota

Epitaphium ejusque: et mortuus est.

Exemplum Severi Imp.

S. Joannis Eleemosynarii.

vers. 22. quid ambulavit Henoch cum Deo?

Exemplum ambulantium cum Deo.

tam se quam ipsum ad jugem Dei laudem exaltaret, ut quoties filium nominaret vocaretque Mahalaleel, toties quasi dicat Halalel, id est laudate Deum, vel potius אל הלל halal el, id est lauda fortem Deum.

22. AMBULAVIT HENOCH CUM DEO, — q. d. Henoch ita sancte et pie vixit, quasi Deum semper praesentem praeculis haberet, et revereretur, ideoque in omni opere cautissimus, modestissimus, religiosissimus semper incedebat, eratque Deo Deique voluntati per omnia consentiens, perinde ut homo cum homine amico, vel domino suo ubique et indivulse inambulans, illi per omnia consentit, illi in omnibus se conformat. Septuaginta vertunt, Henoch, placuit Deo, scilicet praeter ceteris hominibus, etiam justis et sanctis illius aevi. Tangum Hierosolymitanum vertit, servavit Henoch in veritate coram Domino; Arabica, Henoch rectum fuit incessum coram Deo; Chaldaea, et ambulavit Henoch in timore Dei. Hac de causa tulit et rapuit cum ad se Dominus, tanquam alioem terra, Deo angelisque dignum, imo familiarem.

Hinc aliqui Judaei putarunt Henoch fuisse angelum incarnatum. Ambulant, ait Hugo Cardinalis, post Dominum, humiles penitentes; cum Domino, sancti prelati et rectores; ante Dominum, sancti concionatores, uti S. Joannes Baptista; a Domino, apostatae, et qui suae voluntati avoluptati serviunt; contra Dominum, superbi et rebelles, uti Judaei Levit. xxvi, 2.

Addeunt aliqui, « ambulare cum Deo » significare, in publico esse ministerio Dei et fungi officio sacerdotali. Sic enim de Heli Pontifice ait Deus I Regum II, 30: « Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, » hebraice ambularet coram me. Et vers. 35: « Suscitabo tibi sacerdotem fidelem, etc. Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. » Sacerdotum enim est assidue cum Deo in precibus, sacrificiis sacrisque actionibus versari; ipsi enim sunt angeli et mediatores inter Deum et homines, nec dubium est quin Henoch, velut caput familiae, fuerit sacerdos.

Magna ars est, nosse cum Deo ambulare, illum ubique habere praesentem, illi se jungere, illi per omnia obsequi, cum illo saepe colloqui, illius opem implorare, ab eo pendere, ab eo regi, illi totum uniri. Qui cum Deo ambulat, cum hominibus bene ambulat; qui tantum cum hominibus ambulat, nec cum Deo, nec cum hominibus bene ambulat. Ita ambulavit cum Deo S. Paulus, primus eremita, ab anno etatis 15 ad annum 415 in eremo degens, cujus proinde defuncti animam inter Angelorum choros, inter Propetarum et Apostolorum coetus, in caelum rapi vidit S. Antonius.

Hinc secutus est ipse S. Antonius, quem saepe sol oriens eodem vestigio slantem, et in caelum suspicientem aspexit, quo cum occidens reliquerat, tesie S. Athanasio.

Ita Macarius in oculis cum Deo versabatur, dicebatque sibi: « Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim et Seraphim, Deum horum omnium effectorem; illic versare, ne sub celos descenderis, ne incideris in mundanas cogitationes. » Testis est Palladius in Lausaca, cap. xx.

Ita Anuph apud eundem cap. xv: « Nullus, ait, alterius rei cupiditas in cor meum ascendit, nisi Dei. Nil ex rebus terrenis occultavit mihi Deus; non interdiu somnum cepi, non noctu requievi, Deum quaerens; omnem petitionem accepi a Deo profusus; vidi saepe Deo assistentes myriadas, vidi choros justorum. Vidi Martyrum congeriem, vidi monachorum vite institutionem; opus autem omnium Deum laudabat. Vidi justos laetantes in aeternum. »

Ita ambulavit cum Deo Simeon Stylites, Joannes, Macedonius, Marcianus, Ephrem et alii innumeri, de quibus Evagrius in Vitis Patrum, et Theodoretus in Philotheo. O quam felices hi angeli terrestres!

Fuit ergo Henoch propheta, et scripsit quaedam divina, quae citat S. Judas in sua epistola; sed liber Henoch interit: nam ille quem viderunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Origenes, Tertullianus, supposititius et apocryphus est.

24. ET NON APPARUIT, QUIA TULIT EUM DOMINUS. — Calvinus secutus Aben Ezra et Judaeos, putat Henoch esse mortuum suaviter et placide, et mox a morte animam ejus evaglatam esse in caelum, sed non vidisse Deum, donec Christus in caelum ascenderet: itaque Henoch jam esse immortalis, nec amplius ad nos rediturum aut moriturum. Sed haec omnia falsa et erronea sunt. Primo, quia, si esset mortuus Henoch, aequae de eo ac de aliis omnibus dixisset Scriptura: « Et mortuus est; » secundo, quia de eo hic dicitur, « tulit, » id est rapuit eum vivum, « Deus: » unde Septuaginta vertunt, transtulit eum Deus. Hinc et Ecclesiasticus cap. XLV, vers. 46, asserit Henoch; non mortuum, sed translatum in paradysum ut det Gentibus penitentiam; ergo vivit adhuc Henoch, et ad nos redit, ut se opponat Antichristo, et praedicet Gentibus; tertio, quia expresse S. Paulus, Hebr. XI, 5, ait: « Henoch translatus est, ne videret mortem; » quarto ita docent communiter Patres, quos citat Delrio et Pererius (1).

Ex dictis sequitur primo, Henoch translatum esse in paradysum terrestrem, qui ante diluvium adhuc supererat; ille enim intelligitur, cum ab-

(1) Quinto, de Elia vivo in caelum sublato idem, quod hic, verbum נִקַּח usurpat II Reg. II, 9 seq. Nec aliter verba hebraea intellexisse videtur Onkelos: Nec existit amplius; neque enim occidit cum Joa. Clarius Jonathan: Et ecce non amplius erat inter incolas terrae; nam sublatus est, et ascendit in caelum per Verbum, quod est coram Joa. Locus hic argumento est, homines illis temporibus futurae vite fidem habuisse.

vers. 24. Calvinii error de morte Henoch.

Henoch raptus est in paradysum.

solute nominatur paradus, uti eum nominat Ecclesiasticus, cum ait, in eum translatum esse Henoch. Quare quod S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. III, ait Henoch raptum in caelum, intellige Henoch de terra sublatum esse in aera, et per aera in paradum esse translatum; nec aliud voluit Tertullianus, cum lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XVIII, dixit Henoch et Eliam de orbe esse translatos; orbem enim intelligit terram hanc ab hominibus habitatam et cultam.

Causam translationis indicat Sapiens, *Sapient.* cap. IV, vers. 10. *Primo*, quia dilectus erat Deo, et vivebat bonus inter malos: hinc raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Rursum, raptus est, quia ambulabat cum Deo, ideoque dignus erat paradiso et continua Dei contemplatione; *tertio*, raptus est, ut redeat, et det Genitibus penitentiam, perinde ac Elias eam dabit suis Judeis: hoc enim est quod de eo dicitur *Ecclesiastic.* cap. XLVIII, vers. 10: « Qui inscriptus es in iudicis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob; » *quarto*, raptus est, ut suo raptu ostenderet quid Adam peccans perdidit: pari enim modo omnes suo tempore citra mortem translati fuisset, si in innocentia permanissemus; *quinto*, tulit eum Dominus, ut confirmaret fidem patrum de futura vita, *q. d.* Ex hoc ipso facto agnoscite, quod aliam vitam habeo, eamque meliorem, in qua Sanctos remunerabor.

Sequitur *secundo*, fidei esse proximum quod Henoch, aeque ac Elias, necdum sint mortui. Unde Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, LVIII, vocat eos aeternitatis candidatos: « Aeternitatis, ait, candidati ab omni vitio, ab omni damno, ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt; » et Irenaeus, lib. V, cap. V, vocat eos « coaspicientes immortalitatem, » hoc est, ejus auspiciu, et quasi adumbrationem accipientes.

Sequitur *tertio*, Henoch et Eliam non gloriosa, sed mortalia habere corpora, adeoque morituros. Unde Tertullianus supra: « Henoch, ait, et Elias nondum resurrectione disuncti, quia nec morte functi. » Errant illi sive in aere, sive in terra, quem post diluvium raptus est Henoch et Eliam frui visione Dei, et gloriosa habere corpora in caelo.

Quaerens ubi jam sint Henoch et Elias, et qualem agant vitam? Respondeo: Communiter docent Patres eos versari in paradiso. Verum dico Henoch ante diluvium translatum esse in paradum; post diluvium vero, quo inundatus et sublatu videtur paradus, agit in loco aliquo ameno, quem Deus illi sive in aere, sive in terra preparavit, ad quem post diluvium raptus est Elias: ibi ergo simul agunt vitam quasi beatam, immunem a concupiscentia et a nostris ærumnis, in altissima Dei contemplatione.

Secundo, sine cibo eos vivere censent Epiphanius, *haeresi* 64, et Hieronymus *ad Pamphacium*:

Elias et Henoch candidi aeternitatis.

Mortalia habent corpora.

Ubi sint Henoch et Elias?

Vivunt sine cibo.

S. Augustinus vero haec de re dubitat, lib. I *De Peccat. meritis et remissione*, cap. III; atque eos vel sine cibo vivere, vel certe vivere sicut Adam vixit in paradiso, scilicet ex ligno vite, ideoque nec morbo, nec senectute deficiere. Sed verius est eos a Deo, vivos et vegetos per miraculum conservari, sine cibo: nam, ut dixi, paradus, et consequenter lignum vite interiit.

Quaerens *secundo*, an Henoch et Elias videant Deum, sintque beati? Asserunt Catharinus, tract. *De Gloria Christi consummata*; P. Salmeron, et propendit Barradius in illud *Joann.* cap. XXI, vers. 23: « Sic eum volo manere, donec veniam. » Putant enim Henoch et Eliam, uti et S. Joannem Evangelistam; necdum esse mortuos, ideoque eos habere adhuc corpora mortalia, venturosque esse contra Antichristum, et ab eo martyrio afficiendos; interim tamen vivere Deum, eoque frui, saltem a morte et resurrectione Christi.

Probant id nullis et plausibilibus rationibus. *Primo*, quia S. Joannem venturum esse cum Henoch, videtur asseri *Apoc.* cap. X, vers. 11: « Oportet te iterum prophetare Genitibus; » et *Joan.* cap. XXI, vers. 23: « Sic eum volo manere, donec veniam. » Nam corona martyrii Joanni, uti et ceteris Apostolis, debetur et promissa est, *Matth.* cap. XX, vers. 23, hisce verbis: « Calicem meum bibetis. » Jam S. Joannem videre Deum, non videtur dubium; nam Ecclesia eum publice in Iltanis, aeque ac alios Beatos, colit et invocat.

Secundo, quia Ecclesia celebrat festum, tam S. Joannis, quam Eliae juli 20, ut patet ex *Martyrologio Romano*: ergo ipsi fruuntur Deo.

Tertio, quia Graeci exerunt templa in honorem, tam Eliae, quam S. Joannis, uti docet Baronius in *Martyrolog.* juli 20. Ergo ipsi sunt beati; his enim solis eriguntur templa.

Quarto, quia Henoch et Elias sanctissime vixerunt, ac proinde dignissimi sunt ut Deo fruatur, praesertim cum alii Prophetae et Patriarchae etiam minus sancti quam ipsi, quibuscum vixerunt, jam Deum videant.

Quinto, quia sic optime evadimus difficultatem, quae est de suspensione meritorum Henoch et Eliae. Cur enim suspendit Deus merita eorum praeter morem, nisi quia jam vident Deum, suntque non in via, sed in termino, puta sunt beati? Si dicas Deum eorum merita non suspendisse, inferam: Ergo ipsi in meritis et praemiis, pene in immensum superabant omnes alios Beatos; nam per tot annorum millia assidue mererent et in dies merita sua adaugent, idque usque ad diem iudicii: hoc autem videtur incredibile.

Verum haec sententia nova et paradoxa videtur, solidoque carere fundamento.

Primo, quia vix nullus veterum Patrum vel Doctorum eam asseruit; nam Nazianzenus, quem citat Barradius, eam non asserit, sed dubitat.

An Henoch videat Deum? Asserit Catharinus et alii.

Probat primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Negat alii, idque verius est. Probat primo.

Secundo, si Henoch et Elias vident Deum, ergo sunt beati, ergo sunt comprehensores, non viatores. Atqui viatores sunt, quia adhuc morituri sunt et martyrio laeand.

Tertio, nec Mosi, nec Paulo, nec ulli alteri mortalium concessum est, ut ante mortem videret Deum; imo Dominus edixit Mosi: « Non videbit me homo, et vivet, » *Exod.* cap. XXXIII, vers. 20. Ergo nec Henoch et Eliae id concedendum est: sunt enim ipsi adhuc mortales, et respice morituri.

Quarto, multo magis paradoxum videtur Henoch et Eliam a gloria coelesti et visione Dei redire ad passiones, merita et mortem, quam merita eorum suspendi: quis enim beatus unquam ex caelo rediit ad labores, merita et mortem? quis unquam ex comprehensore factus est viator?

Quinto, solus Christus fuit simul viator et comprehensor; hoc enim privilegium soli Christo dant omnes Theologi. Atqui secundum novam hanc sententiam, hoc falsum est: nam Henoch et Elias, saltem eum redibunt certaturi contra Antichristum, simul erunt viatores et comprehensores. Tunc enim non perdet visionem Dei, quam jam possident, quaque sunt beati.

Sexto, si visio Dei non impedit tunc eorum merita et labores contra Antichristum, facti jam eorum merita impedit? Pari enim modo Christus ante mortem et resurrectionem suam videns Deum, nunquam per hanc visionem impeditus fuit a suo merito.

Septimo, S. Joannem non esse mortuum, eumque venturum esse contra Antichristum, plane videtur improbabile, atque repugnat tam historicis plurimis, qui eum mortuum esse asseverant (citae eos Baronius), quam Ecclesiae, quae S. Joannis quasi mortui, et in caelo cum Christo jam regnantis festum colit, eumque invocat. Secus est de Henoch et Elia; hos enim nemo colit vel invocat.

Ad *primum* respondeo, Joannem post illa verba *Apocalyp.* cap. X, iterum prophetasse Genitibus cap. XII, XIII, XIV et seq., usque ad finem *Apoc.*, non autem iis prophetaturum esse in fine mundi. Illud vero *Joan.* cap. XXI: « Sic eum volo manere, » idem est ac si diceret: « Si eum volo manere, » uti alii codices legunt; loquitur enim Christus non assertive, sed conditionate, idque ad retinendam curiosam Petri interrogationem: « Domine, hic autem quid? » Porro calicem passionis bibit S. Joannes, tum alias, tum eo tempore quo in dolium olei ferventis missus est. Unde ipse a Patribus vocatur, ab Ecclesia colitur, et revera est martyr.

Ad *secundum* respondeo. Graeci celebrant festum Eliae, non beati, sed rapti: illo enim die tantum recolunt memoriam raptus ejus, quia raptus hic fuit admirabilis.

Ad *tertium* respondeo. Eodem modo et scopo

Eliae templa exerunt Graeci, quo festum illi instituerunt, scilicet ut iis testarentur et recolerent memoriam tam miri raptus Eliae (templa enim proprie non Sanctis, sed soli Deo in honorem Sanctorum eriguntur), qui caelestem hic egit vitam, et caelestes quasi discipulos post se reliquit, fuitque Monachorum quasi pater et patriarcha, quique etsi nondum beatus sit, jam tamen quasi confirmatus est in gratia, certoque beandus, itaque ex Dei revelatione et oraculo jam quasi canonizatus est.

Ad *quartum* respondeo. Ordo a Deo institutus postulat ut Henoch et Elias non videant Deum, cum nondum sint mortui; alii vero Prophetae mortui sunt, ideoque vident Deum. Quare congruum est ut Henoch et Elias mediam vitam agant inter homines terrenos et inter beatos in caelo, pacatam scilicet et jucundam, non tamen beatam. Eorum vero sanctitati et meritis rependitur, non visio Dei, sed aliud magnum quid, scilicet quod illi soli ex Prophetis venturi sint, quasi fortissimi pugiles Christi contra Antichristum, eumque confutaturi, ideoque martyrio ab eo laeand.

Ad *quintum*, de suspensione meritorum mox a dicam, neque illa suspensio hic difficultatem tollit. Nam saltem Henoch merita fuerunt suspensa, a raptu ejus usque ad passionem Christi, per tria pene annorum millia (praecise enim anni 2937 interfluxerunt), quibus tamen Deus non vidit Henoch; si enim merita ejus tunc non fuerunt suspensa, ergo Henoch tot annis continue merendo, longissime superabit in gratia et gloria omnes Sanctos, itaque recidemus in incommodum quod ipso argumento praetenditur.

Quaeritur *tertio*, an sint in statu merendi? Asserit Viegas in *Apo.* cap. XI. Ratio est, quia sunt adhuc viatores, eumque priventur visione Dei, cur praeter ordinem communem privarentur etiam facultate merendi, quam habent alii viatores? esto hac ratione meritis et gloria sunt superaturi Sanctos omnes, excepta B. Virgine. Negant vero id ipsum Pererius et Suarez. Idque videtur probabilis; ratio est, quia aliqui tot annorum millibus innumera accumularent merita, nec inter eos et alios sanctorum esset ulla comparatio, ut proportio in gratia et gloria: *secundo*, quia per raptum translati sunt in alium statum et vitam. Unde raptus videtur eis fuisse instar mortis, ac consequenter suspendisse eorum merita, donec redeant ad nos tempore Antichristi; tunc enim rursum merebuntur.

Jam ergo sunt quasi in statu medio viatorum et Beatorum, scilicet in statu quietis et contemplationis: unde sicut non laborant, nec patuntur, sic nec merentur: plurimum autem merebuntur redeantes et pugnantes contra Antichristum.

In Vita S. Pachomii refertur quod philosophus quidam Theodoro, discipulo S. Pachomii, haec

Ratio.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

Respond. ad primum prioris sent.

S. Joannes Evangelista est martyr.

Ad secundum.

Ad tertium.

una.

An merito priventur, ma est.

tria enigmata proposuerit, ad que ipse ita so-

Nota: In fine mundi redibunt ad communem vitam Henoch et Elias, ut Antichristo per conciones, disputationes et miracula se opponant: ideoque ab Antichristo martyrio afficiuntur Hierosolyma, qui corpora eorum projiciet inse-

Denique Henoch atavus fuit Noe, ac consequenter pater fuit omnium nostrum; omnes enim homines, consequenter et Antichristus, uti a Noe, ita et ab Henoch descendunt.

Henoch raptus anno mundi 987, agit annum vite 4943.

27. DIES MATHUSALEM NONGENTI SEXAGENTA VEM ANNI. — Hic fuit omnium mortalium longevissimus; Adam tamen eo longevior dici hac ratione potest, quod Adam creatus sit in etate et statura perfecta, quibus jam est triginta, tunc fuisset 60 annorum, u. minimum; Mathusalem autem natus est infans, et 60 annis crevit, et adolevit ad statum et staturam, in qua creatus est Adam: ergo si 60 annos a Mathusalem demas, vel totidem Adæ addas, superabit Adamus Mathusalem 21 annis, Ita Pererius. Natus est Mathusalem anno mundi 687; cumque vixerit annos 939, sequitur eum obisse anno mundi 1626, scilicet eodem anno quo factum est diluivium, paucis (septem, si Hebræis credimus) diebus antequam illud inundaret. Ita S. Hieronymus. Non bene ergo S. Augustinus, lib. 1 Quest. in Genes.,

censet eum obisse 6 annis ante diluivium: sexto enim anno ante diluivium obiit, non Mathusalem, sed Lamech ejus filius, qui fuit pater Noe, ut patet Gen. cap. v, vers. 30 et 31. Sed audi S. Augustinum, initio Quest. in Gen.: « Queri, inquit, solet quomodo Mathusalem secundum annorum computationem, vivere post diluivium potuerit, cum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur? Sed hanc questionem plurimum codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in Septuaginta interpretatione. Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluivium reperitur fuisse defunctus. » Quod etiam explicat lib. XV De Civit. cap. XIII.

29. NOMEN EJUS NOE, DICENS: ISTE CONSOLABITUR. — Ex hisce verbis patet Lamech fuisse prophetam. Nota, Noe hebraice duo significat: primo, quies, a radice נוך noach, id est quiescit; inde enim Noe hebraice dicitur Noach, id est quies, vel quiescens, et quiescere faciens: unde Septuaginta vertunt, hic requiescere faciet nos ab operibus et tristitia manuum nostrarum: sic et Arabicus; secundo, significat consolationem vel consolatore, a radice נחם nacham, id est consolatus est, ut Noe a nacham deducatur, per apocopen litteræ mem; et ita deducit Scriptura hic dicens, וזו זע ינחמנו, iste consolabitur nos, uti habent Hebræa, Chaldaeus et Noster; sed utrumque eodem redit: consolatio enim ab opere et labore, non est aliud quam quies ab opere et labore.

Noe ergo quiescere fecit et consolatus est homines, primo, quia, ut ait S. Hieronymus, omnia retroacta opera, scilicet peccata, quieverunt per Noe, qui ea sepelivit diluvio; secundo, ut R. Salomon, Hebræi, Cajetanus et Lipomanus, quia Noe aratrum et alia instrumenta agriculturæ, artemque faciliorem colendi agros invenit; tertio, ut alii, quia propter sanctitatem et sacrificium Noe post diluivium, Deus benedixit terræ cap. viii, vers. 21, et cap. xix, vers. 4 et seq.: quod factum est, ut terra sic benedicta minori labore et cultura majores fructus afferat; quarto, quia Noe plantavit vites et adinvenit vinum, quod est solatium cordis humani. Rursus, quia Noe a Deo fuit concessus usus carniū, quibus vita hominum roboratur. Addunt alii, quia Noe per diluivium hominibus ascivit mortem, que est omnium laborum nostrorum finis et quies. Verum mors et mersio improborum non est quies, sed initium æterni doloris et laboris. Quinto et maxime, hisce verbis prophetæ Lamech de Noe filio suo, ad quod ipse erit generis humani, diluvio pene absumentendi, reparatur (hæc enim magna Lamechi et patrum fuit consolatio et quies), ait Hugo, et quod ipse mundo Deum Deique beneficentiam conciliabit; quodque ex eo nascetur Messias, inquit Rupertus, qui nostra est requies et consolatio; cujus est illa vox: « Venite ad me, omnes

qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Noe ergo fuit typus Christi.

Ante diluivium magni et longi fuerunt patrum dolores et labores, primo, quia vivebant 900 annos in continuis laboribus; secundo, quia terram colebant a Deo maledictam, ideoque sterilem; tertio, quia non habebant illas artes et instrumenta arandi et colendi terram; quarto, hi omnes eorum labores perituri erant diluvio: que magna futura erat eis poena et afflictio. Ab his ergo eos quiescere facit et solatur Noe, primo, quia per arcam labores, id est opera labore eorum facta, resiliunt; secundo, quia ob ejus merita artesque ab eo et posteris inventas facilior jam est agricultura, omnisque labor hominum, uti paulo ante dixi.

Nota: Natus est Noe 600 anno ante diluivium, quod factum est anno mundi 1636; unde sequitur Noe natum esse anno mundi 1036, scilicet post mortem Adæ anno 126; mortuus est enim Adam anno tam suo quam mundi 930.

Topologice, Noe symbolum est justitiæ, que omnes consolatur, ac et requiescere facit ab operibus iniquitatis; hæc revocat a tristitia: quia dum

ea que justa sunt gerimus, nihil timemus pure conscientia securitate, non dolemus gravi dolore; nihil est enim quod majoris doloris sit, quam culpæ reatus, » inquit S. Ambrosius, lib. De Noe, i.

31. NOE VERO CUM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM. — Nota, non videri (licet id videatur S. Chrysostomo) Noe ad annum 300 abstinuisse conjugio: ergo alios ante Sem, Cham et Japhet genuit filios, qui mortui sunt ante diluivium; unde sequitur, non omnes qui hic primo generati nominantur, fuisse revera primogenitos. Ita S. Augustinus, libro XV De Civit. xx.

Hæc aæno 300 cepit Noe arcam fabricam, eamque continuavit per 100 annos: perfecta est enim illa anno 600. Ita Origenes, Augustinus, Gregorius, Rupertus.

Rursus, post annum 500 Noe genuit, id est generare cepit, Sem, Cham et Japhet, ut successivis annis genuerit, nunc Sem, nunc Cham, nunc Japhet: nec enim eodem anno hi tres simul sunt geniti.

Ex hoc loco colligitur chronologia mundi, puta a creatione mundi et Adæ usque ad diluivium fluxisse annos 1636; nam

Table with columns for names (Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch, Mathusalem, Lamech, Noe) and ages (430, 103, 90, 70, 65, 162, 63, 187, 182, 300) and a 'genuit' column.

Post generationem Sem anno centesimo, qui fuit 600 vite Noe, factum est diluivium, Genes. cap. vii, vers. 11. Duravit diluivium anno integro, ut patet

conferenti Genes. vii, 11, cum Genes. viii, 13 et 14. Ergo a creatione mundi usque ad finem diluvii fluxerunt anni 1637.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Homines omnes, ac præsertim gigantes, libidinibus omnique scelere sese corrumpunt; hinc secundo, vers. 7, Deus intendit orbi excidium per diluivium, ac consequenter, vers. 14, jubet Noe fabricare arcam, in quam tam ipse, quam animalia bina cujusque speciei, in semen posteritatis serentur. Finitur hic prima mundi ætas, primoque Genesis pars, atque incipit secunda, quæ est de Noe et diluvio, terminaturque in Abraham cap. xii.

1. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent; 2. videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. 3. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. 4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filios hominum, illaque

generuerunt; isti sunt potentes a saeculo viri famosi. 5. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, 6. poenitit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: 7. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres caeli; poenitet enim me fecisse eos. 8. Nos vero invenit gratiam coram Domino. 9. Haec sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. 10. Et genuit tres filios, Sem, Cham et Japhet. 11. Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. 12. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruerat viam suam super terram), 13. dixit ad Noe: Finis universae carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. 14. Fac tibi arcam de lignis levigatis: mansiuiculas in arca facies, et bitumine lines intrinsecus et extrinsecus. 15. Et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. 16. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summilatam ejus: ostium autem arcae pones ex latere: deorsum, cœnacula, et tristega facies in ea. 17. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum. Universa quæ in terra sunt, consumentur. 18. Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum, tecum. 19. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et feminini. 20. De volucribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere. 21. Tolles igitur tecum ex omnibus esecis, quæ mandî possunt, et comportabis apud te: et erunt tam tibi quam illis in cibum. 22. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

Vers. 1. 1. CUMQUE COEPISSENT HOMINES MULTIPLICARI. — Josephus et Theodoretus putant hæc accidisse circa septimam ab Adamo generationem, scilicet sub tempora Henoch. Est ergo hic anacephalæosis: recapitulat enim hic Moses, et redit a Noe ad tempora priora, quæ causam dederunt diluvio.

Vers. 2. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM, QUOD ESSENT PULCHRE. — Querens, qui sint filii Dei, et quæ filiae hominum? Respondent aliqui filios Dei esse angelos, angelos enim esse corporeos, et in corpore hic primum suum peccatum luxuriæ admisisse, ob quod cœlo dejecti sint. Ita Josephus, Philo, lib. *De Gigantibus*; Justinus, *Apolog. 1*; Clemens, *III Strom.*; Tertullianus, lib. *De Habitu mulierum* (ubi docet demones hic docuisse mulieres conficere stibium, brachialia aliosque fucos); Lactantius, lib. II, cap. xv. Nec mirum id eos censisse: nam et hoc sæculo Cajetanus censuit probabile esse angelos habere sua corpora.

Secundo, alii respondent filios Dei (scilicet quoad naturam) esse demones, qui ex se suaque natura et corpore generantur instar hominum, ut voluerunt Platonet, et Franciscus Georg. tom. I, problem. 74; vel potius, ut Burgensis et Franciscus Valesius, *Sacra Philosophia* cap. viii, esse demones, primum succubos, qui a potentissimis viris validissimum semen exceperint, quod deinde iidem quasi incubi in validissimas feminas trans-

fuderint, itaque generaverint gigantes. Licet enim Pererius dubitet an ex incubis demonibus hoc modo generari possit homo, et idipsum neget Cyrillus, asserunt tamen Cardanus, Cajetanus, et bene idipsum probat Delrio, lib. II *Disquis. magic.* quæst. XV.

Verum dico: « Filii Dei » vocantur hic filii Seth, primo, ob sanctitatem suam, justitiam, temperantiam aliasque virtutes, per quas Dei imago in eis, quasi filiis suis resplendebat. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, Rupertus et Hilarius, in *Psal. cxxxii. Secundo*, ut Oleaster, est phrasîs Hebræa: Hebræi enim omnia fortia, magna, egregia, dicunt esse Dei: ut montes Dei, cædi Dei, vocantur cedri et montes altissimi et maximi. Sic « Filii Dei » vocantur filii Seth, quia robusti; quia viribus, forma, pulchritudine, statura extimii: e contrario filii et filiae Caini vocantur « filii et filiae hominum, » primo, quia erant perversi et terræ affixi; secundo, quia corporis robur, formam et staturam emervant et decurrant. Unde, ut notat Pererius, Cainitæ dicuntur generasse, non filios, sed filias, quia vi generandi per profusam libidinem debilitata, non filios, sed fere tantum filias generare poterunt. Addunt tertio, Theodoretus et Suida, Seth a pietate et sapientia Deum esse dictum: hinc ejus filios vocari filios Dei.

Tertio, et vers.

Quarto, « Filii Dei » possunt accipi « filii potentum, » ut vertunt Symmachus, Chaldaeus et Pagninus, ut « filiae hominum » vocentur plebeia, quibus potentes per potentiam et tyrannidem sint abusi. Cum enim Deus, teste Damasceno, a providendo et providendo sit dietus; hinc rectores et potentes, quorum est aliis providere, vocantur dii. Unde illud Dei ad Mosen: « Constitui te Deum Pharaonis. » Ita Molina. Verum prior sensus, uti planior est et communior, ita et verior.

3. NON PERMANEBIT. — Hebraice est *לֹא יִשְׁׁרְׁׁדוּ* *lo idon*, quod Symmachus, Arias et alii a radice *ידדן* deducunt vertuntque, non judicabit, non litigabit, q. d. Deus: Non patiar hanc litem inter meam misericordiam et justitiam tamdiu durare; rursum, nolo amplius cum hominum perversicia contendere. Tædet me, argunt me et deseruciant tanticonflictus sibi adversantium affectuum: illem ergo dirimam, ac homines incorrigibiles totosque carni deditos plane delebo. Loquitur Deus *אֱלֹהֵינוּ*. Sic quoque legit S. Hieronymus in *Quest.*, sive *Tradition. in Genes.*: « In hebræo, ait, scriptum est: Non judicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt; hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituum quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. »

Secundo, melius Pagninus et Cajetanus cum S. Chrysostomo, pro *radon* aliis punctis legunt *ידדן iddon*, a radice *ידדן naden*, id est, vagina, q. d. Non amplius manebit spiritus meus in hominis corpore, quasi in vagina; evaginabo, seu extraham animam de corpore. Unde Syri corpus vocant *nidne*, quod sit quasi vagina anime.

Tertio et planissime, dici potest cum Leone Castrio, lib. III *Apologie*, in hebræo pro *radon* legendum esse *ידדן idon*, a radice *ידדן idon*, id est, mansit, moratus est, hospitatus est; tam enim Septuaginta et Chaldaeus quam Noster vertunt, « non permanebit, » scilicet spiritus in corpore, quasi in hospitio suo.

SPIRITUS MEUS. — Anima et vita homini a me inspirata, *Gen. ii*; hinc halitum nostrum, vitam et animam Deus habet in manu sua, *Dan. v*, vers. 23. **IN ÆTERNUM.** — In longum tempus, quale habuerunt homines ab Adam hæcenseque, quia, ut sequitur, post 120 annos omnes delebo diluvio.

QUIA CARO EST. — Quia carnalis, et in vitia carnis sua culpa projectus est. Ita S. Chrysostomus et Ambrosius (1).

ERUNTQUE DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM. — Putant aliqui hic a Deo statui terminum vitæ singulis hominibus, quasi singuli homines deinceps

(1) *כִּי בָּסוּסוּ* plerisque est particula causalis ex prefixis *כִּי, וְ, וְ, וְ* composita, et locum sic vertunt, quia etiam caro est. Aliis *כִּי בָּסוּסוּ* est infinitivus pihel cum prefixo et affixo, ut sensus sit, dâm errare eos facit caro.

tantum essent victuri 120 annis. Ita Josephus, Philo, Rupertus, Abulensis. Sed falluntur: nam constat post hæc tempora homines vixisse, non 120, sed 400 annis, ut patet *Genes. xi*.

Dico ergo Deum hic statuere terminum vitæ toti generi humano: q. d. Homines carnales gravissime me offenderunt: possem eos hoc instanti delere; sed quia clemens sum, do eis tempus poenitentiae, idque largum, scilicet 120 annos: quod si illud negligant, post 120 annos omnes plane delebo per diluvium, quod orbi inducam. Ita Chaldaeus, Hieronymus, Chrysostomus, et Augustinus lib. *XV De Civitat.*, cap. xxiv. Ergo, ut recte advertunt S. Augustinus et Salvianus, lib. *Antikimonen ex Genesi*, dixit hæc verba Deus anno ætatis Noe 480, 20 annis ante nativitatem Sem, quæ configit anno Noe 500, sicut diluvium configit 600: licet S. Hieronymus, Chrysostomus et Hugo hæc dicta velit anno 500 Noe, 100 annis ante diluvium: ita nimirum ut ab his 120 annis, Deus ob scelera hominum 20 demperit et decurtarit. Hic ergo Deus statuit mundo tempus poenitentiae 120 annorum, illudque revelat Noe, ut ipse illud ipsum propalet mundo. Unde sequitur Noe hic implicite a Deo statui præconem poenitentiae et comminationis diluvii: quod diligenter et fideliter apud homines eum perfunctum esse non est dubium, atque in eodem collegas habuisse Mathusalem avum, et patrem Lamech, valde est verisimile. Unde Berossus Chaldaeus, lib. I, sic ait: « Tum multi prædicabant, et vaticinabantur, et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione; sed enim illi auctore corridebant omnia, caelestium illos ira atque ultione perurgente, pro impietate atque sceleribus. » Moraliter hic nota, uti impietas et improbitas familias, etiam antiquissimas et nobilissimas extinguunt, ut patet in Caino et gigantibus: ita pietas et probitas easdem perpetuant, ut patet in Seth et Noe; hoc est quod *Psalm. xxxvi* dicitur: « Justi autem hæreditabunt terram: injusti autem disperibunt, simul reliquias impiorum interibunt. » Symbolice, Cabaliste, et ex iis Petrus Bongus, tract. *De Numerorum mysteriis*, in sexies millesimo, annos hos 120 magnos et Mosaicos accipiunt, puta jubilei, ita ut quilibet annus hic complectatur quinquaginta annos vulgares: ac consequenter 120 hic efficiant sex millia annorum vulgarium (multiplica enim 120 per quinquaginta, habebis sex millia), quibus durabit hic mundus, vitæque et ætas hominum, de quo dixi *cap. ii*, vers. 2.

4. GIGANTES AUTEM ERANT. — Ex *vô* erant videtur, quod jam ante fuerint gigantes: ita tamen, ut hoc tempore fuerint multiplicati, ex commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum. Unde Hebræa pro *postquam enim habent, et etiam postquam*; et Septuaginta clare ita vertunt, *gigantes erant super terram in diebus illis, et post illud, postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum*. Ita S. Augustinus, Vatablus et alii.

Noe præconem poenitentiae.

Nota: Gigantes hebraice vocantur גיגיתים *gigithim*, in est *cadentes* (a radice גבל *naphal*, id est *occidit*), activo, g. d. irruentes, opprimentes, et cuncta instar procella prostermentes, et ad casum ac ruinam impellentes: unde Aquila vertit, *immaniter ei facta, illi violenter irruentes*; inde illud Job xvi, vers. 13: «*Irruit in me quasi gigas.*» Erant enim gigantes vastissimi, procerissimi, fortissimi et violentissimi homines. fidem a parentibus Rapha et Enac, vocantur *Raphaim* et *Enachim*: grece vocantur γίγαντες, quasi γίγας, id est ex terra geniti, quasi ventris et terræ filii, inquit S. Ambrosius et Philo.

Burgensis putat gigantes fuisse demones humana specie indutos: Valesius putat gigantes fuisse filios demontum incuborum; Philo putat homines sceleratissimos vocari gigantes. Sed certum est gigantes fuisse homines monstrosa statura, robore, atrocissimi et tyrannide insignes. Unde gigantes, per sua scelera, fuerunt maxima et potissima causa diluuii, ut patet Sap. xiv, 6; Job xxvi, 5. Idem insinuat hic Moses: ea enim de causa descriplur diluuium, gigantes, quasi diluuii causam, premitit. Ita passim docent interpretes.

Ex hoc loco rursum, et potius ex fabrica turris Babel, de qua cap. xi, Gentiles sumperunt fabulam gigantum et Titanum, ut post S. Ambrosium et Eusebium, lib. V de *Preparat. Evang.*, cap. iv, docet Pererius. Credidit enim vetustas gigantes fuisse homines excelsissima statura, et draconum pedibus, ab irata tellure procreatos in deorum perniciem, ut scilicet bellum diis inferrent, Iovemque cæli possessione deicerent, sed temere et frustra: nam a Jove contriti sunt, quod paucis versibus ita perstringit Ovidius:

Affectasse ferunt regnum cælestes gigantes,
Atque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum Pater omnipotens misso perrexit Olympum
Fulmine, et exarssi subjectam Peilon Ossam.

POSTQUAM ENIM, — g. d. Maxime postquam. Nota: Gigantes maxime generati sunt ex filiis Seth (hi enim vocantur filii Dei), qui integerrimi erant viribus, et jam a primæva integritate degenerantes, summo amore ardoreque libidinis, toti in terram et ventrem projecti, filiius Cain (hæ enim vocantur filii hominum), utpote pulcherrimis, agglutinati sunt. Fecit enim libido ut natura in eis omnem suam vim et extremum potentie suæ exereret, itaque vastissimi et validissimi homines prognati sunt. Thomas Fasellus, *De Rebus Scutis*, lib. I, decade 1, cap. vi, multa affert exempla gigantum hujus pene sæculi, quorum alii 48, alii 20, alii plures habebant cubitos in altitudine.

Vide hic ut robur aque ac virtus, vel vitium parentum in proles transfundantur. Recte Poeta:

Fortes creantur fortibus
Est in juvenice, est in æquis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.

Quinam hæciant?

Fabula signatum vnde?

Libido præcipit gigantes.

5. CURCIA COGITATIO. — Hebr. כול יצר מחשבות *kol iser machshot*, omne figmentum cogitationum; *isser* enim est figmentum, sive plasma figuli. Unde Illyricus delirat, dum ex hac, imo ex sua monstrosa figulina, format et fingit peccatum originale non esse accidens, sed substantiam et formam substantialem hominis. Talis enim substantia, inquit, est plasma figuli. Verum non advertit ipse hoc figmentum non esse Dei, sed «*cogitationum*;» cogitatio autem hominis non substantiam, sed substantiæ adamatæ imaginem sibi pingit et fingit: hæc autem imago est accidens, non substantia. Unde Calvinus vertit *cuncta imaginatio*. Sicut enim figulus sua idola, ita imaginatio et concupiscentia peccato sunt inquinata, imo tota sunt sordida. Nam Hebræa addunt *præ* *rae*, id est *tantum* intenta ad malum.

INTENTA ESSET AD MALUM. — Infer Calvinus, ergo omnia opera nostra, etiam sancta, aliquo occulto concupiscentiæ peccato sunt inquinata, imo tota sunt sordida. Nam Hebræa addunt *præ* *rae*, id est *tantum* intenta ad malum.

Respondeo, *præ* *rae* nec Septuaginta, nec Chaldaeus, nec Noster verterunt, quia videntur id in Hebræo addi per pleonasmum et auxesin, satisque includi in eo quod dicitur, «*cuncta cogitatio et omni tempore intenta ad malum.*» Respondeo *secundo*, Scripturam hic non loqui de justis, sed de peccatoribus, ob quos inductum est diluuium. Nam statim excipit *justum* Noe vers. 8, cuius cuncta pene cogitatio intenta erat, non ad malum, sed ad bonum. Respondeo *tertio*, esse hic hyperbolen; nam peccatores, licet maximi, quædam tamen bona faciunt, dum parentibus obediunt, proximos juvant, aliis fidem servant, etc.; «*cuncta*» ergo, id est plurima, et creberrima, «*cogitatio.*» Sic vulgo dicimus: Hic homo non aliud somniat (id est, sæpe non aliud cogitat) quam de suo ventre. Similis hyperbole est Sap. xii, 3; Rom. iii, 12.

Adde, proprie Mosen loqui de peccatoribus, non omnibus, sed iis tantum qui erant tempore Noe, erantque pessimi et sceleratissimi: quos licet daremus nil boni, sed omnia mala fecisse, idque ex libera sua malitia, inde tamen nec sequitur eos aliter facere non potuisse, nec etiam alios peccatores, qui aliis temporibus vivunt, nil boni, sed omnia mala peragere.

Ex hoc loco probabiliter putat Pererius, illo tempore solum Noe cum suis proliis fuisse justum, omnes alios fuisse impios, ideoque, uti aquis diluivit, ita et in infernum esse demersos, exceptis tamen infantibus, qui sacramento illius temporis renati mergebantur. Verum contrarium est probabilius, scilicet aliquos etiam adultos, cum se aquis involvi et sensim obrui viderent, pœnituisse, justificatos et salvatos esse. Docet hoc S. Hieronymus et Rupertus, satisque id ipsum

Ver. 8. Delirium Illyrici: peccatum viciniale esse iterum substantiam.

Calvin error: omnia opera peccati esse inquinata, Hebræorum. Primo.

Secundo. Tertio.

Quarto.

Verum est ali- quod. Item in diluio mergebantur, pœnituisse.

insinuat S. Petrus, *epist. I*, cap. iii, vers. 19: sic enim in periculis naufragii, etiam sceleratissimi quique, magno pietatis affectu ad Deum confugiunt, emendationem spondent, veniam petunt et impetrant, ut corpore pereunte anima salvetur.

6. PORNITIV EUM. — Septuaginta ἐβουλόθη, *recogitavit*. Nam is quem facti pœnitet, sæpe illud versat et cogitat: *Eccur hoc feci? utinam non fecissem!* Pœnitet hominem cum is revocat cum dolore, et retractat sua dicta aut facta, ob eventum tristem, quæ non præviderat, ex iis consentum. Deus omnia prævidit, nec dolere potest; ergo proprie eum nullius pœnitet: dicitur tamen anthropopathice; pœnitere et dolere, cum ob hominum scelera, sua dona et gratias revocare statuit et decernit; cum peccatores a se creatos et beneficiis affectos, ob sua peccata, occidit et punit. Unde Symmachus vertit ἀνίστημι, *aversatus est; pœnituit ergo Deum*, id est, Deus irascens et indignans peccatis hominum decrevit retractare et delere hominem, quem creaverat.

7. DELEBO HOMINEM, etc., USQUE AD ANIMANTIA. — Nota: Peccatum totius universi harmoniam dissolvit, quia non tantum hominem, sed et elementa omnesque creaturas commaculat et distorquet. Ostendat hoc per singula creationis singulorum dierum opera: primo die, creata est lux: hæc fugat et obtenebrat peccatum. Hinc ait Jeremias, cap. iv: «*Aspexi cælos, et non erat lux.*» Secundo die, creatum est firmamentum et orbis cælestes: jam ob peccata cæli complicantur sicut liber, ait Isaias, cap. xxxiv, vers. 4, ne scilicet peccata et peccantes tegant et operiant. Tertio die, productæ sunt plantæ: de his audi Jeremiam, cap. iv: «*Aspexi terram, et ecce vacua et nihil.*» Quarto die, factus est sol: hunc peccatum eclipsat, ut docet Isaias, cap. xlii, vers. 10. Quinto die producti sunt pisces et aves: de his ait Jeremias, cap. iv, vers. 23, quod ob peccatum omne volatile recessit. Sexto die creata sunt quadrupedia et homo: hæc peccatum aufert ex montibus et silvis, ut patet *Osee*, cap. iv, vers. 3. Omnia ergo cum homine peccante puniuntur, quia ei ad peccatum serviunt: vel potius homo ipse in omnibus punitur, dum omnibus quibus abusus est, privatur.

9. NOE VIR JUSTUS. — (1) «*Noe*, ait S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe*, cap. iv, non genere, sed justitia laudatur: probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus, homines: ita animarum genus, virtutes sunt.» Hinc pereunte mundo, natus Noe servatur, quasi stirps incorrupta, ut novi mundi sit origo, et novorum hominum seminarium, ut ait S. Ambrosius.

Vera ergo nobilitas, laus et gloria in justitia, religione et virtute consistit. Ita censuerunt vete-

(1) Vers. 9. «*Hæc sunt generationes Noe.*» Voce נדרות *nedrot* significantur quoque *eventa*, ea in primis quæ simul cum generationibus eadem opera describuntur.

res Christiani, nobiles et Martyres. Ita Romanus Martyr, cum Galerius Imperator et Asclepiades, prefectus Antiochiæ, Christianos invaderent, flagris et plumbatis cæsus, nobilitati sibi nobilitatis nomine parci: «*Abstulit*, inquit, ut me nobilem sanguis parentum præstet, aut lex curiæ: generosa Christi sequela nobilitat viros.» Jussit ergo Asclepiades latera ejus mucronibus scindi; tum ille: «*Gratias ago tibi, o Asclepiades, quod amplioris mihi oris patefecisti meatus, quibus Christum prædicare possim: tot oribus laudant ora, quot sunt vulnera:*» testis est Prudentius in hymnis *περὶ ἁγίων*. Ita et S. Agatha Quintiano prefecto obficienti: «*Non te pudet nobilitate genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere?*» respondit: «*Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus et superbia.*» B. Gregorius Nazianzenus, *orat. 11*: «*Nobilitas vera, ait, est divine imaginis conservatio, atque archetypi imitatio, quam ratio et virtus efficiunt.*»

PERFECTUS — perfectione, non patrie, sed vitæ, in qua consistit perfectio virtutum consistit. Vide S. Augustinum, lib. *De Perfect. justitiæ*. Hinc de Noe canit Sibylla, lib. 1:

Μώως δὲν πάροςθεν διακότατος ἦν, καὶ δίκαιος,
Νόος περιστάτος καλοῦτε ἔργων μακαρίων,
Solus in cunctis justissimus erat, et verax,
Noe fidelissimus et bonis operibus addictus;

et *Ecclesiasticus* cap. xlii, vers. 17: «*Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatus.*» Et Paulus, *Hebr. xi*, 7: «*Fide Noe aptavit arcam, per quam damnavit mundum, et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.*»

IN GENERATIONIBUS SUIS. — Inter homines sui ævi et sæculi, adeoque præ hominibus sui ævi. Ponitur abstractum pro concreto, scilicet «*generationes suæ*,» pro hominibus suo sæculo generatis. Ita ait Sapiens, *Eccle. i*, 4: «*Generatio præterit, generatio adventit,*» id est, ætas et soboles una hominum præterit, mox altera filiorum et nepotum ei succedit. Sic enim B. Virgo dicitur benedicta inter mulieres, id est, præ omnibus mulieribus. Unde colligitur aliqui Noe quoque fuisse perfectiorem ipso Henoch, omnibusque suis majoribus, qui primo illo sæculo vixerunt. Verum hoc non est necessum dicere; nec enim necessum est sæculum Noe extendere usque ad Henoch, qui jam ante sexcentis annis raptus erat in paradysum; et licet eo extendere annos sæculum Noe, sufficit ad veritatem horum verborum dicere, Noe non ipso Henoch, nec omnibus omnino hominibus, sed plerisque fuisse perfectiorem.

Secundo, Delrio per generationes intelligit actiones; hæ enim sunt quasi liberi, quos parit

In qua consistit perfectio virtutum?

An Noe perfectior fuit Henoch?

homo toto vite suae spatio, q. d. Toto vite suae dekursu, in suis actionibus perfectus fuit Noe. Hic sensus arctior et subtilior est. Prior ergo sensus magis planus, simplex et genuinus est.

CUM DEO AMBULAVIT, — uti Henoch, de quo dixi cap. v, vers. 22. Praeclare Hugo de S. Victore, lib. I De Claustro anime: « Sicut, ait, nullum est momentum, quo homo non statat vel fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum praesentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse. » S. Basilius rogatus, quis frequenter irascitur? quis ad bona opera piger est? quis Dei gloriam non promovet? hoc unum ad singula respondebat: « Qui non semper cogitat Deum suarum actionum inspectorem esse. Haec enim una recordatio, si esset assidua, contra omnia vitia medelam praebere. »

Cogitatio presentia Dei est remedium quantum peccatorum.

Vers. 10. 10. SEM, CHAM ET JAPHET. — « Sem » Hebraice, inquit S. Cyrillus hic, hom. 3, significat perfectionem, vel plantationem; « Cham, » caliditatem; « Japhet, » amplificationem. Verius est « Sem » hebraice significare nomen, vel famam; « Cham, » calorem et nigrorem; « Japhet, » amplitudinem, ut patebit cap. ix, vers. 26. Jam abstracta ponuntur pro concretis: nomen et fama, id est, nominatus et famosus; calor et nigredo, id est, calidus et niger; amplitudo, id est, amplus.

Vers. 11. 11. CORRUPTA EST AUTEM TERRA. — Incolae terrae adeo corrupti sunt, ut ipsam terram suis sceleribus polluisse et corrupisse videantur: est metonymia cum auxesii.

Vers. 12. 12. OMNIS CARO, — omnis homo: est synecdoche; caro enim idem est quod homo; et hyperbole, nam omnis idem est, quod plerique: excipitur enim Noe justus cum suis.

CORRUPERAT VIAM SUAM, — suam vivendi rationem: sic viam hominis vocantur opera, conversatio, consuetudo hominis; viam Dei vocantur opera Dei, Prov. viii, 22. Notat S. Ambrosius, lib. De Noe et arca, cap. v, diluvium carnis peperisse diluvium aquarum. « Caro, ait, causa fuit corrumpenda etiam anime, quae velut origo et locus est quidam voluptatis, ex qua velut a fonte prorumpunt concupiscentiarum malarumque passionum flumina, lateque exundant; quibus demergitur anima quoddam excusso gubernatore remigium, cum ipsa mens velut quibusdam tempestatibus et procellis victa, loco suo cedit. » Et cap. ix: « Corruptela diluvii causa est: ea ubi reperit, aperitur atque, ebullunt omnes fontes cupiditatum, ut totum corpus tanto et tam profundo vitiorum diluvio mergatur. » Sicut ergo Noe includens se cum animalibus in arca, diluvium evasit: sic et tu cohibe tuos sensus et passiones intra mentis imperium, et poteris te tuaque ab omni diluvii periculo liberare (1).

(1) Hoc versu idem, quod in antecedente dictum erat, repetitur, non profecto quod auctor alterius monumenti

13. FINIS UNIVERSE CARNIS VENT CORAM ME, — Vers. 13. instat dies decreta a me excidio hominum et animalium; statui namjam finire et perdere orbem diluvio: patet ex seq.

A FACIE EORUM, — per eos, ab eis. Ita Septuaginta. Chaldaeus vertit, propter mala opera sua (2).

14. FAC TIBI ARCAM. — Hebraeorum תבה teba significat arcam formam fuisse, non in morem navigii, cuius carina areatur, et summitas vel patet, vel concameratur; sed in morem cistae undique clause et quadrangulae, quae inferne plana est, et aequalis quaquaersum, superne vero plana est, sed ita, ut modice in culmen et divum exiguum assurgat. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civitate, cap. xxvii; idque satis colligitur ex ejus demensione, quam vers. seq. subdit Moses.

DE LIGNIS LEVIGATIS. — Hebraice de lignis נפר גopher, quod Septuaginta vertunt, quadratis; Noster, levigatis, id est, dolatis et perpolitis, tum ad aptiorem et arctiorem compaginem, tum ad elegantiam, tum ut commodius illinerentur bitumine. Oleaster vertit, de lignis pini; Chaldaeus, Aben Ezra, et Rabbinii vertunt, de lignis cedri. Cedrus enim in Syria abundat, estque incorruptibilis, et longissimas dat tabulas, easque leves et superfluitantes. Ex cedro factam esse arcam, docet etiam S. Ambrosius, lib. De Arca, cap. vii, et S. Augustinus, tractat. 6 in Joan. S. Hieronymus vertit, ea lignis bituminatis (ut נפר gopher idem sit quod נפר copher), id est bituminosis, hoc est resinosis: bitumen enim ample capitur pro resina; pinus autem et cedrus sunt resiniferae, et sic omnes hae versiones in unum conveniunt.

MANSUINCULAS IN ARCA FACIES. — Hebraea et Septuaginta, nidos facies arcam, id est, in parva stabula divides et distribues arcam, non solum ut aves, sed ut cetera animalia, sua discreta habeant habitacula. Unde Notare clare nidos hos exposuit per mansuinculas.

Symbolice S. Ambrosius, lib. De Noe, cap. vi: « Omne corpus nostrum, ait, attextum est sicut nidus, ut spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus major ceteris hiatus oris, in quo nutritur donec adolescat sapor, et unde vox evolat, in quo latet lingua. Spiritus quem carpinus et quo alimur, nidus est pulmo; sanguinis autem et spiritus nidus est cor. Ossa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cavata, in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus

verba retinuerit, quod nec ii sumunt, qui hanc narrationem e duobus monumentis compositam volunt, quum utroque hoc versu nomen ארתימ usurpetur, sed est παρασολογία quadam, qualis vetustissimis scriptoribus haud infrequens.

(2) Cum terra. Aliis נח idem valet quod נח, ut sensus sit, super terram. Cf. I Reg. ix, 25; Ps. lxxvii, 3.

nidi cupiditatis aut doloris sunt. » Et mox: « Est jam in hoc corpore nidus pudicitiae, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentia. »

BITUMINE. — Pice aptius erat bitumen, ad tabulas conglutinandas et consolidandas, et ad fetorem, ex stercore tot animalium provententem, dispellendum.

Vers. 15. 15. TRECENTORUM CUBITORUM ERIT LONGITUDO ARCAE, QUINQUAGINTA CUBITORUM LATITUDO, ET TRIGINTA CUBITORUM ALTITUDO. — Cubitus continet pedem eum dimidio, sive sex palmos; olim, uti pedes hominum et palmi, ita et cubiti erant majores, quam jam sint. Origenes cubitum hic intelligit, non communem, de quo jam dixi, sed qui continet sex cubitos communes et vulgares. Originem sequitur Isidorus Clarius et Delrio. Sic enim non arcte et compacte, sed laxe et salubriter in arca degere poterant animalia omnia. Verum sic immanis fuisset vastitas arcae, quae vix in unam fabricam compingi, vixque aquis sustineri et moveri potuisset. Adde, alibi Scriptura cubitos non geometricos, sed communes accipere, ut cum ait, Goliath fuisse procerum sex cubitos et palmum; quis enim credit Goliath fuisse 36 cubitorum communium: origo et hic cubiti communes accipiendi sunt. Ita Torriellus.

Nota: Arcae longitudo decupla erat ad ejus altitudinem et profunditatem; talis enim est proportio 300 ad 30; nam decies triginta sunt trecenta. Rursum longitudo arcae sextupla erat ad ejus latitudinem; hinc enim est proportio 300 ad 50; nam sexies 50 sunt 300. Eadem est proportio dimensionum in corpore humano bene formato, ut nimirum ejus longitudo, quae sumitur a vertice usque ad pedes, sit sextupla ad ejus latitudinem, quae sumitur a latere dextero in sinistram, quando per medium pectus. Rursum, longitudo corporis humani decupla est ad ejus profunditatem, quae sumitur a pectore, et per pectus penetrando in dorsum. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civitate, cap. xxvi, et S. Ambrosius, lib. De Arca, cap. vi.

Hinc sequitur arcae capacitatem interius fuisse 430 000 cubitorum. Nam si geometrica 300 cubitos longitudinis arcae, multiplices per quinquaginta latitudinis ejusdem, habebis cubitos quadratos quindecim millia; quae si rursum multiplices per 30 cubitos altitudinis arcae, habebis jam dicta 430 millia cubitorum solidorum. Haec ergo fuit dimensio et capacitas arcae interius, quae sane ingens fuit et sufficiens omnibus animalibus et rebus arca contentis; ut non sit necesse cum Origene, cubitos hic, non communes, sed geometricos accipere: sic enim sextuplo major et capacior fuisset arca (1).

(1) Cf. Meignan, op. cit. pag. 442. N. Tiele in Commentariis demonstrat, posse in arca omnia animalia contineri et salvari. Arca enim, ait, capacitas erat 3 600 000 pedum solidorum. Ex his si decimam tantum partem animalium habitationi tribuas, reliquam autem eorum

16. FENESTRAM. — Praecipuam unam, grandiorum et pellucidam, ex vitro, crystallo, vel lapide speculanti (hoc enim significat Hebraeorum תרתיסוחר, et Graecum διαφανής, ut verit Symmachus). Nil ergo prohibet, alias minores per circuitum in tertio caenaculo, ad lucem ubique recipiendam, factas esse fenestras. Fenestrae haec aperiri poterat: unde per eam Noe columbam et corvum emisit (2).

ET IN CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EJUS, — q. d. Altitudinem ejus, puta fenestrae, facies unius cubiti. Ita Vatablus, Oleaster, Delrio. Secundo, Torriellus sic explicat, q. d. Mensuram cubiti semper ad manum habe et adhibe, ut juxta eam singulas arcae partes, ad mensuram a me praestitutam aedifices. Tertio et genuine (ut patet ex Hebraeo), « ejus, » scilicet arcae, summitatem sive altitudinem facies unius cubiti, q. d. Facies tectum arcae non omnino, sed pene planum, ita videlicet, ut sensim et lente tantum assurgat ad altitudinem cubiti: sic ut cubitus iste sit altitudo mediana vulnibus arcae, per totam ejus longitudinem. Ita Joannes Buteo et Pererius ex communi Doctorum sententia; describit enim Moses hic arcae tectum ejusque formam areatam in culmine.

DEORSUM COENACULA ET TRISTEGA FACIES IN EA. — Ita haec lege et junge, non autem, ut deorsum referas ad ostium, quod praecessit. Jam sensus est, q. d. Deorsum unum coenaculum, sive tabulatum sub alio constituitur, inquit Delrio. Secundo, aptius ad Hebraea: « deorsum, » id est, tabulata infima; « coenacula, » id est, tabulata media: in his enim fieri solent coenacula; et tristegea, id est, tabulata tertia vel suprema, facies in arca. Hebraea enim habent, inferiora, secunda et tertia facies; et Chaldaeus, mansiones inferiores, secundas et tertias facies in ea. Unde patet arcam tres habuisse contiguationes, sive tabulatas; haec enim vocantur a Graecis tristegea, in quibus partim animalia, partim esca, aliaque suppellex condita et distributa erant. His adde quartam unam, pro sentina. Jam singula ita exacte describit et distribuit Joannes Buteo, ib. De Arca. In ima haec parte erat locus saburrae, sive arenae, quae navi necessaria est, ut in aquis non fluctet, non in hanc illamve partem inclinet, sed sui quasi

cibus, 7000 animalium species sedem 52 pedum solidorum capacem singule habebunt.

(2) Interpretationi communi vocis צוהר duo opponit Schultens, primam, quod צוהר pro fenestra nusquam, neque in vicinis etiam linguis, apparere; deinde, absurdum esse, sumere, unam tantam fenestram in tanta molis edificio fuisse, unius tantum cubiti altitudine: verba enim quae sequuntur, ad cubitum perficies illud, haud dubie ad צוהר referenda esse, ut plura hujus formae nomina sunt feminina. Schultensius igitur sententia est, quod imber facile dilaberetur, collato Arabico dhairo, dorsum, quod tunc ad gibbosam et elatas partes, tecta etiam, aliaque diversa notandum transferatur.

Arca aere cubitus enim dimidio.

Arca fuit instaurata.

Ex cedro facta est arca.

Arcae longitudo erat ad altitudinem, et sextupla ad latitudinem. Eadem est proportio dimensionum in homine.

Arcae capacitas fuit 430000 cubitorum.

Vers. 16.

Arcae tectum areatatum habuit altitudinem sive tria tabulata, et quartam unam.

Arca tres habuit contiguationes, sive tria tabulata, et quartam unam.

pondere et justo libramento recta in aquis consistat; in hac etiam erat sentina quae sordes ex superioribus tabulatis per canales exciperet, atque per foricas, sive foramina in aquas foras emitteret. Hæc tamen foramina non erant in hac ima parte (hæc enim tota erat sub aquis), sed in sequenti, sive secunda contignatione, in quam per antliam ex ima parte aqua et sordes attollebantur: nisi malis dicere cum Torriello, sordes sublatas fuisse per funes in primum et summum tabulatum, ad fenestram arcae, ut per eam, utpote magnam, foras eicerentur.

In secunda contignatione, sive tabulato, erat locus omnium animalium tam reptilium, quam gradientium, in plurimas (Delrio numerat 300) cellas, sive mansiuiculas, majores, vel minores, pro quantitate animalium, utraque ex parte distinctus: in cellis erant præsepia aliæque vasa cibum et potum continentia; in cellarum pavimento erant fenestellæ, per quas sordes animalium in sentinam demitterentur; in medio cellarum utrimque erat transitus, seu via, qua homines cum lucernis discurrerent ad singulas cellas, ut eas inspicerent, et cuique animali de necessariis providerent. In hoc tabulato erat ostium arcae, de quo versu 16, idque magnum et amplum, utpote per quod elephantes, camelii omnique animalia inducta sunt in arcam.

In tertio tabulato erant distinctæ apothecæ, continentium tum annonam animalium et hominum, puta fenum, paleas, poma, frumentum, semina, legumina; tum dolia aquæ dulcis, ad potum et ad lotionem. Ex hoc tertio tabulato, per foramina, tubos, in quodque præsepe secundi tabulati cibus et potus immittebatur: hic etiam reposita fuit omnis suppellex, tam urbana quam rustica, post diluuium usui futura.

In quarto et summo tabulato, locus erat hominum et avium. Primo ergo erat hic cubiculum Noe et filiorum distinctum a gynæceo, sive habitaculo mulierum (ab his enim viros, durante diluuii, abstinuisse docent S. Ambrosius, Rabanus, Anselmus Laodunensis, S. Hieronymus in Zachariae xii, Delrio et alii); huic lumen infundebat fenestra arcae. Secundo, erat hic culina cum camino et foco; tertio, furnus, pistrinum et mola trusatiles; quarto, lignile cum lignis et carbonibus; quinto, penus annonæ tam cibi, quam potus. Ex alia parte erant cavæ et nidii singularum avium, cum suo pabulo. In his cenaculis erant scalæ, per quas ex uno in aliud ascendebant et descendebant.

Porro, ut docet Buteo, in hac quarta contignatione erant spiracula ad auram excipiendam et renovandam. Erant hæc spiracula veluti quidam camini, qui usque ad arcae summitatem protendebantur, ut per aperta quædam ostiola, utriusque sub prominente tecti stillicidio apte fabricata (quo a pluvius tuta, et ab aquarum fluctibus remotiora essent), fetores exhalare, et inclusus aer

transpirare posset, ne sordium fetore infectus, animalia etiam ipsa inficeret interimeretque.

His omnibus tectum erat impositum, planum, sed nonnihil acclive, et assurgens ad altitudinem cubiti (ut patuit ante), ut utrimque pluviam illapsam effunderet foras arcam, in aquas.

Jam triginta cubitos altitudinis arca, ita per quatuor tabulata jam dicta disperitur Buteo, ut sentina habuerit quatuor cubitos altitudinis; secunda contignatio, in qua erant animalia, habuerit novem cubitos altitudinis; tertia, cibariorum, habuerit octo; quarta, hominum et avium, habuerit novem cubitos altitudinis.

Porro Noe, Deo dirigente, in arca, sicuti animalium mansiones locaque sapientissime distinxit, ne sese invicem ullo modo possent animalia ledere: ita etiam miri iudicio onera cuncta intra arcam ea ratione locavit ac disposuit, ut ipsa arca, veluti iustis librata ponderibus, recta positione, super aquas consistere ferriq; posset.

Arcae hujus et diluuii meminerunt omnes profani scriptores, teste Josepho, lib. I Antiq. cap. iv, ubi addit etiam suo tempore, reliquias arcae apud Armenos ostendi solitas.

Allegorice, arca est Ecclesia, Noe est Christus salvator et consolator orbis; munda animalia et immunda in ea, sunt iusti et impij; qui extra hanc Christi arcam est, puta heretici et infidelis, peribit regnante diluuii, inquit S. Hieronymus. Ita et S. Augustinus, lib. XV De Civit., xxvi, et S. Gregorius, homil. 16 in Ezechiel., ubi inter cætera ait: « In uno cubito consummatur arca, quia unus est auctor et redemptor S. Ecclesie sine peccato, ad quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt. » Vide Ferum hic, in fine cap.

Tropologicæ, arca est anima sancta, per cruce et labores recisis vitis dolata, quadrata et ex omni parte librata. Rursum, arca est secretum conscientie; Noe est mens; longitudo arcae est fides; latitudo, charitas; altitudo, spes, item oratio et contemplatio; inundatio aquarum est impetus tentationum; montes Armenie in quibus arca requiescit, quies est anime in contemplatione rerum divinarum; volucres arcae sunt cogitationes celestes; animalia sunt opera et curæ circa res terrenas; corvus emissus nec reversus significat falsos Christianos, qui foris in fluctuatione temporalium letantur, nec redeunt ad mentis quietem; columba reversa significat bonos Christianos, qui ad opera charitatis emissi, mox ad mentis quietem redeunt, sed cum ramo olive, quia peregrinunt opera misericordie. Hæc omnia habet Hugo Victorinus, lib. Allegor. in Gen. cap. xviii, et Origenes hic.

18. INGREDIERIS ARCAM TU ET FILII TUI, UXOR TUA, ET UXORES FILIORUM TUORUM. — (1) Separantur hic viri

(1) « Ponamque fœdus meum, » etc. Vox בְּרִית (ברית) dissecat, ob dissectionem animalium in partibus fœderibus usitatum. Cf. infra, xy, 10, ubi do

secunda
da erat
animalia
per cel-
las dis-
tributa.

In trita
da erat
arca.

In quat-
to erant
vires et
humores.

Spiracu-
la erant
in arca.

ima para
arca ha-
bebat
quatuor
cubitos
altitudi-
nis, se-
cunda
novem,
tertia oc-
to, quar-
ta novem.

Allegori-
ca, arca
est Ec-
clesia,
Noe
Christus.

Insi-
mit
tropolo-
gica ob
fuit arca
de summa
sancta.

« feminis, ut innuat, in arca abstinendum usu conjugii, utpote tempore diluuii, id est, luctus et penitentia, ad propitiandum Numen. Hinc in arca nullus legitur genitus, idque insinuat Moses dicens cap. x, 1: « Natiq; sunt eis filii post diluuium. » Et cap. xi, 10: « Sem genuit Arphaxad biennio post diluuium. » Rationem dat Damasceus, lib. IV Fidei, cap. xxv: « Separavit, ait, eos ab uxoribus, ut cum castitate pelagus et illud commune naufragium evitarent. » Quocirca Hebraei et S. Hieronymus in cap. xii Zachariae, ad illa verba: « Familia domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum; » et Abulensis hic in cap. vii, et Remigius, cap. ii Joelis ad illa: « Egre- diatur sponsus de cubili, » censent, toto tempore quo duravit diluuium et mundi universalis interitus, neque Noe, neque filios ejus operam dedisse generationi, quia tempus erat lugendi et orandi placandique Deum.

19. ET CUNCTIS ANIMANTIBUS BINA INDUCES. — De

terrestribus intellige; ergo etiam ferae, ut leones, lupi, tigrides, bini inducti sunt in arcam, qui tunc cieures, quasi mites agnelli, Noe viro innocentissimo parebant, uti paruerunt Adamo in paradiso. Vide S. Chrysostomum, homil. 23. Nulli vero pisces ingressi sunt arcam, nec amphibia, quia hæc continentia sunt in aquis, quam in terra vivunt. Frustra ergo et temere aliqui apud Hugonem, lib. I De Arca morali, cap. iii, amphibiis his cavitates sive nidos assignant, quos pro his fecerit Noe forinsecus in extimo pariete arcae, qui aquas spectabat; nam si quæ sunt amphibia, quæ tandem terra carere nequeunt, vel ob pabulum, vel in terra nocte stabulantur,

hominibus solis sermo est, qualibet conventiones aut pactiones mutuas significat; at ubi de Deo agitur, sæpe aut sponsiones aut leges notat. Hoc loco mera est sponsio. Ita Alloli ad h. l.

Leones
quasi ag-
nelli pa-
reuerunt
in arca.

In arca
non fue-
runt pis-
ces nec
amphi-
bia:

hæc intra arcam cum aliis recepta et servata sunt. Rursum in arcam non sunt inducta animalia, quæ ex putrefactione, uti mures, vermes, apes, scorpiones; nec ea que ex congressu diversarum specierum, uti mulus ex equa et asina, nascuntur. Terrestrium ergo animalium, quæ ingressa sunt arcam, Arias Montanus, lib. De Arca, numerat species 130, exceptis serpentibus. Jam Pererius serpentium et reptilium numerat species 23. Quare universim fuissent circiter 173 species animalium terrestrium in arca; in quibus sex tantum sunt majores equo, pauca æquales, multe minores etiam ovibus. Omnia hæc terrestria Pererius æquat 230 bobus, nec in arca plus loci occupasse censet, quam occupat 230 boves. Avium vix 130 species apud Gesnerum et Aldrovandum invenies; in quibus pauca majores sunt cyncis, plerique iis minores. Potuit ergo facile arca hæc omnia capere, cum ejus capacitas fuerit 450,000 cubitorum, ut dixi vers. 15.

20. INGREDIENTUR TECUM. — Hebraice יָבוֹאוּ אִתְּךָ, venit ad te, scilicet sponte sua, etiam si sint effera, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu, uti prius ad Adamum, cap. ii, 19, eadem adducta sunt. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civit., cap. xxvii. Non ergo animalia hæc quæ sivit Noe, eaque adduxit ad arcam, ut vult Philo; non etiam ipsa animalia, invalescente diluuii, fugerunt enatando ad arcam, ut vult Hugo Victorinus apud Buteonem.

21. EX OMNIBUS ESCIS QUÆ MANDI POSSUNT. — Hebraice, « ex omni cibo qui comedi solet, » puta tam ab homine, quam a bestia. Unde verius est quod asserit Joannes Buteo (licet contrarium opinetur Pererius), scilicet animalia carnivora in arca, non herbas, sed carnes, a Noe arce ad hunc finem impositas, comedisse (leo enim, v. g., tantum carne vescitur).

Noe
era, in
arca lan-
tum oc-
cupavit
loci,
quæula a
occupant
230
boves.

Animan-
tium ter-
restrium
species
sunt 173,
quæ in
arca lan-
tum oc-
cupavit
loci,
quæula a
occupant
230
boves.

Avium
vix sunt
130
species.

Carneo
ra in ar-
ca esse
debet
carnea.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Noe cum animantibus ingreditur arcam. Secundo, vers. 17, diluuium occupat terram per dies 150.

1. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam: de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. 3. Sed et de volatilibus cæli septena et septena, masculum et feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ. 4. Adhuc enim, et post dies septem ego pluviam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. 6. Eratque sexcentorum annorum, quando diluuii aquæ inundaverunt super terram. 7. Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluuii. 8. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volu-